



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 100. Pauli Aretii Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

tisque nomine Belgium Catholicæ Re- **Sæcul XVI.**
ligioni addictum, necnon Burgundiæ **A.C.1577**
Comitatum accepit.

§. C.

Pauli Aretii Cardinalis obitus.

Anno Domini millesimo quingentesi- **Ciacon. t. 3.**
mo septuagesimo septimo tres Car- **pag. 1049. in**
dinales e vivis excefferunt, quorum **Vittorel.**
primus erat Paulus Aretius, seu Arez- **addit. Ciac.**
zo natione Italus in Cajetana Diæcesi
ex honesta familia natus, qui a primis
infantiæ suæ annis jamjam præclara
suæ probitatis specimina edebat, ac sem-
per modestia, verecundia, & eximia
erga pauperes charitate conspicuus e-
rat: postquam vero juvenis Salerni, ac
Bononiæ literis non segniter incubue-
rat, ac humanioribus literis, Philoso-
phiæ, & Theologiæ, linguarum quo-
que peregrinarum, Græcæ præsertim
notitia imbutus erat, legum quoque
scientiæ operam dabat, in utroque jure
Doctoris Lauream consecutus: subinde
vero patronum caussarum egit tanta
cum integritate, ac nominis celebri-
tate, ut passim Doctor veritatis dice-
retur, præcipue enim non minus ani-
mo a quæstus aviditate alieno, quam
morum probitate sua clarus erat: ni-
hilominus hoc vitæ genus oppido per-
tæsus, ac sua erga pietatem propen-

D d 4

sione

Sæcul. XVI
A.C. 1577

*Aubery vie
de Cardin.
Attichii in
hist. Card.*

fione incitatus anno ætatis suæ quadragésimo Neapoli Clericorum Regularium instituto nomen dedit, ac Scipionis cum Pauli nomine commutavit, posuitque tyrocinium cum Beato Andrea Avellino, quocum a Senatu Neapolitano in maximi momenti negotiis ad Philippum II. Hispaniæ Regem decernebatur, qua legatione adeo prospereungebatur, ut Rex Catholicus illum Infula Episcopali honorare pararet. verum ille hanc dignitatem constanter recusans tandem Pii V. jussu post Scotti Cardinalis mortem Placentinum Episcopatum acceptare cogebatur, ubi etiam coacta Synodo Tridentini Concilii decreta recipi præcepit: interfuit quoque tertix Mediolanensis Synodo a sancto Carolo celebratæ, simulque in supplicationibus eo, quod pestis ejus Diæcesin depopulabatur, tempore decretis sanctum hunc Cardinalem nudis pedibus comitabatur: denique anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo a Pio V. quamvis absens purpura Romana decoratus titulum sanctæ Pudencianæ obtinuit, die autem septima Julii anno centesimo Neapoli

§. Cl.